



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De nouitio, qui anno probationis completo, se radi non permisit, cap. 51

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

ita istam: Si rediero ad S. Andream, conuocati mei, quoties in porticu ecclesie sue sedebunt, ipsi aduersus me loquentur, me iudicantes, & de salute mea disputantes: noctibus vero, quando sedebunt ad ignem, & vacabunt potationibus, ero psalmus eorum. Sicque Dei misericordia ad mentem reductus, & a se confortatus, monachus effectus est, & non multo post in bona contritione defunctus, migravit ad Dominum.

## CAPVT L.

**R**einerus, iam dictae Ecclesie sancti Andreae Scholasticus, & fratris Godefridi successor, cum post eius mortem fieret apud nos nouitius, in tantum cepit variis tentationibus vexari & turbari, ut pusillanimitas effectus, die quadam Domino Geuardo Abbati diceret: Non possum hic diutius manere, quia nec ordinem valeo diutius sustinere. Quem cum interrogasset, quod vultis ire? Respondit ille: Ad prebendam meam oportet me redire. Tunc Abbas, quasi vir prudens, quandam seueritatem simulans cepit (nescio ad quem) clamare: Afferte mihi securim: cui cum diceret nouitius: Quid debet securis? respondit, ut praecidantur pedes vestri. Credite mihi, magis volo vos sine pedibus semper pascere, quam vos sinam abire, & confundere domum nostram. Tunc ille subridens ait: Melius est ut maneam, sicque per verba iocosa cessauit tentatio satis dura. APOLLON. Ut considero, nouitius facile tentatur, & facile sanatur. CAESARIUS: Hoc plenius scies in sequenti capitulo.

## CAPVT LI.

**N**ouitius quidam cum in Hemmenrode satis tranquille annum peregisset probationis, & voluntate stabilitatis expressa in capitulo, radendus esset in monachum, atque is, qui eum radere debebat, rasorium in corrigia corrigeret, diabolus eadem hora sic iuuenem contristauit, sicque pusillanimitas reddidit, ut mutato animo rasorem non admitteret. Quo viso, dominus Hermannus Abbas loci sanctae Mariae, tunc ibidem Prior, simulata quadam iocunditate accurrit, collum iuuenis utroque brachio strinxit, &

quia



quia eadem tristitia ex immissione esset diaboli dōcens, fluctuantem ocyūs ad tranquillitatem perduxit. Tentatione verò sedata, mox adolescentis facies, non sine assistentium admiratione, est serena, & permisit se radi. Sicut mihi retulit iā dictus Abbas, ita vultus nouitij subitò fuerat immutatus, vt nigredo maxillarum & tremor labiorum satis ostenderent, quid corde concepisset. **APOLLONIVS:** Ecce istud est quod iam dixi, quia nouitij tentatio facilè veniat, & facilè recedat. **CAESARIUS:** Quædam tentationes nouitiorum tam duræ sunt & tam valida, vt illas compescere valeant non verba, non exempla, sed sola potentia atque consolatio diuina.

## CAPVT LII.

**N**OVITIVS quidam tempore probationis suæ, ex quadam tentatione diabolica, quam nunquam ante conuersionem senserat, grauissimè turbabatur. Erat enim eadem tentatio de incarnatione Verbi, non quòd de illa malè sentiret, sed diabolus per spiritum blasphemiam feruorem mentis illius nitebatur extinguere, vt dum de ea dubitaret, tantos pro Christo subire labores recusaret. Die quadam, cum staret ad Primam in choro nouitiorum contra altare, contemplatus est oculis corporeis imaginem crucifixi in aère venire ad se, ac si diceret: **Quare dubitas, respice in me, ego sum ille, qui natus & passus sum pro te.** Per aliquam horam ante faciem eius pendens erat ipsa imago, quam tantum videre potuit ab umbilico & supra. Interrogatus à me, si sciret quid hoc signaret, respondit: Dominus mihi contulit gratiam illam, vt nihil impudicū, & quod ledere possit verecūdiā meā, cogitare possim de illo, & ideo intellexi, quòd tantū partes corporis sui superiores, nō inferiores, mihi ostendere dignatus est. Ab eadē hora ōnis illa cessauit tētatio, quā atē nulla cōfessio, nulla sanare potuit oratio. Et licet iā dicta tētatio cessauerit, nō tamē tētator cessauit, quē enim dejicere nō potuit per blasphemiam, fugare conatus est per acediā. Nā per plurimos dies, quotiēs ire debebat ad ecclesiā ad horas  
cano-